



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De episcopo qui mancipium Ecclesiae manumitti desiderat. clxxvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Si quis mutauerit, & quod mutat, & quod mutatum est, sanctificabitur domino.

De eadem re. Cap. CLXXIII.

Inustum videtur & impium, vt mancipia quæ fideles viri seu fœminæ pro remedio animæ suæ Deo & sanctis eius consecrarunt, cuiuscunq; muneris precio vel cōmutationis commercjo, iterum in secularem seruitutem redigantur, cū canonica autoritas seruos fugitiuos tantummodo distrahi permittat, & ideo omnes rectores Ecclesiarum summopere caueant, ne vnus eleemosyna alterius peccatum fiat. Et est absurdum vt ecclesiastica dignitate seruus decedens, humanæ obnoxius sit seruituti.

De regalibus præceptis super prestaria.

Caput CLXXV.

Præcepta regalia super precariis ecclesiasticis fieri nec ratio finit, nec autoritas quolibet modo permittit. Quoniam præcepta in iure ecclesiastico firmare indignum iudicatur, necesse est vt maiestas regia non nisi ab ecclesiastico rectore petatur. Idem autem custos Ecclesiæ solertissimè caueat, ne sui ordinis & ecclesiasticæ cōmunionis fortè immemor, contra autoritatem præceptum regium pro quacunque assentatione fieri petat. Qui etsi fecerit, non audiatur. Si autem & obtinuerit regia discretionē, & episcopali iudicio idē rescindatur, & petitor iniustus, pro principis iniusta suggestiōe dignè corripatur.

De episcopo qui mancipium Ecclesiæ manumitti desiderat. Cap. CLXXVI.

Episcopus qui mancipium iuris Ecclesiæ, non retento ecclesiastico patrociniō, manumitti desiderat, duos meriti eiusdem & peculij corā concilio Ecclesiæ cui præeminet, per commutationem subscribentibus sacerdotibus offerat, vt rata & iusta inueniatur definitio commutationis. Tunc enim liberam manumissionem sine patrociniō Ecclesiæ concedere poterit: quia eum quem liberati tradere disponit, iam iuri proprio acquisiuit. Huiusmodi autem liberto aduersus Ecclesiam, cuius iuris extitit, accusandi vel testificandi denegetur licentia. Quod si præsumpserit, placet vt stante commutatione, in seruitutem propriam Ecclesiæ reuocetur.